

M. Tullius Cicero. Brutus

Prevođenje s latinskog, zimski semestar 2011-12

Fons: *M. Tulli Ciceronis scripta quae manserunt omnia*. Fasc. 4, ed. E. Malcovati, 1970. Notae sumuntur ex libro: Cicero, M. Tullius, *Libri rhetorici ex editione Jo. Aug. Ernesti cum notis et interpretatione in usum Delphini. Variis lectionibus, notis variorum, recensu editionum et codicum et indicibus locupletissimis accurate recensiti*. Volumen secundum. Londini: Curante et imprimente A. J. Valpy, A. M. (1830).

Anno Urbis 707, Ciceronis 61.
Coss. fuerunt C. Julius Caesar III. M. Aimilius Lepidus.

Caesar cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, ut Cic. de Div. II, 24. ait, VI. Kal. Jan. Lilybaei conscendit, ac post diem quartum in conspectum Africae venit; ibique hoc anno bellum Africanum adversus P. Scipionem et Jubam Mauritaniae regem administravit; de quo Hirtius et alii. Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus praetor, ut Hirtius scribit de B. Afr. c. 2. Misit tum ad eum in provinciam Cicero ep. penult, et ult. lib. XIII. Fam. Caesar cum ad bellum Africanum proficisceretur, M. Brutum Galliae Cisalpinae praefecit; auctor Appian. lib. II. et Cic. Fam. Ep. VI, 6. Eo tempore Cicero ad illum scripsit quinque epistolas, quae lib. XIII. Fam. leguntur. Graeciae idem Caesar praefecit Ser. Sulpicium, Fam. Ep. iv, 4. item VI. 1. et 6. Ad eum quoque plures Ciceronis epistolae extant lib. XIII. Fam. Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romae, nec fere exibat, propter varias hominum suspiciones, quas Varroni exponit epist. 2. lib. IX. Fam. Fuit etiam ruri in villis; Att. Ep. XII. 1. ubi Hirtii et Balbi Caesarianorum meminit, qui hoc bello Africano Romae fuerunt, ut permultae epistolae ad Familiares tum scripta ostendunt: in quibus sunt ad Varronem et Paetum pleraeque lib. IX. Fam. Conquiescebat M. Tullius in studiis; Fam.

Ep. IX. 6. Scripsisse illum eo tempore Partitiones Oratorias Corradus putat: et de Bruto, qui est de Claris Oratoribus, vere affirmat, eum vivo adhuc Catone scriptum esse; quamvis prooemium anno sequenti editum fuisse, ostendat. Caesar initio mensis Aprilis, ut Hirtius scribit, Jubam et Scipionem vicit: ac paucis diebus post M. Cato sibi Uticae mortem conscivit.



10

Nam cum inambularem in xysto et essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se coniuncti tum mihi ita cari itaque iucundi, ut eorum aspectu omnis quae me angebat de re publica cura consederit. quos postquam salutavi: quid vos, inquam, Brute et Attice? numquid tandem novi?

5

Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis aut ego pro certo dicere audeam.

11

Tum Atticus: eo, inquit, ad te animo venimus, ut de re publica esset silentium et aliquid audiremus potius ex te, quam te adficeremus ulla molestia.

10

2 in xysto] in porticu **10** ut de re publica esset silentium] Cujus mentio non nisi ingrata tibi esse potest.

3 cum T. Pomponio] T. Pomponius Atticus eques Romanus suavitate morum ac moderatione admirabili praeditus nunquam honores petuit, quos facilime poterat adipisci. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius, quam hoc sene. Elegans non magnificus, splendidus non sumtuosus. Maxima illud sapientiae indicium, quod Caesaris et Antonii benevolentiam retinuerit, inter quos principatus aemulatio intercedebat. Morbo gravi ac doloribus oppressus, voluntaria inedia vitam finiit anno U. C. 722. ante Christum 32. aetatis 77. Cornelius Nepos in ejus vita.

7 quod quidem aut tu audire velis] Ubique fama increbrescebat de victoriis Caesaris, de cladibus Pompeianorum: quod nec Ciceroni placebat, nec pro certo audebat affirmare Brutus deditus Academicis, qui nihil quod esse posset falsum volebant asseverare.

Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis et absenti magna solacia dedistis. nam vestris primum litteris recreatus me ad pristina studia revocavi.

Tum ille: legi, inquit, perlubenter epistulam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere te prudenter et consolari amicissime. 5

12

Recte, inquam, est visus: nam me istis scito litteris ex diurna perturbatione totius valetudinis tamquam ad aspiciendam lucem esse revocatum. atque ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt, sic post rerum nostrarum et communium gravissimos casus nihil ante epistulam Bruti mihi accidit, quod vellem aut quod aliqua ex parte sollicitudines adlevaret meas. 10

13

Tum Brutus: volui id quidem efficere certe et capio magnum fructum, si quidem quod volui tanta in re consecutus sum. sed scire cupio, quae te Attici litterae delectaverint. 15

2 litteris] libris **4** ille] Atticus **4–5** ex Asia] Asia Minore **15** Tum Brutus] inquit

2 vestris primum litteris] Bruti scilicet epistola, et Attici libro, quo omnem rerum memoriam breviter et perdiligenter complexus est, ut dicitur § 14.

9 Cannensem] Anno U. C. 538. ante Christum 216. ad Cannas Apuliae vicum impatienti Terentii Varronis consulis temeritate atrocissimam cladem ab Hannibale Romani accepere, caesis peditum quadraginta milibus, duobus equitum millibus et septingentis, inter quos plurimi consulares et praetorii ceterisque magistratibus functi cecidere. Livius, Polybius, Plutarchus, &c.

9 Marcelli] M. Claudius Marcellus proconsul ad Nolam Picentinorum urbem, quam praesidio tenebat, justis proeliis saepius victum Hannibalem in Apuliam cedere coegit anno U. C. 538. Livius, Plutarchus, &c.

16–17 quae te Attici litterae] Multa scripsit Atticus: annales imperii Romani, ut patet ex Ciceronis Epist. ad Att. XII. 24. et Cornelio Nepote; familiarum originem: attigit quoque poeticen eodem Nepote teste.

Istae vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem adtulerunt.

Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus istuc tam praeclarum litterarum fuit?

An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus aptior quam illius libri, quo me hic adfatus quasi iacentem excitavit? 5

14

Tum ille: nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est?

Iustum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. 10

Tum Atticus: optatissimum mihi quidem est quod dicis; sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui posset esse?

15

Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia viderem. quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum si non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet qua acceperis aut etiam cumulatiore, si possis. 15 20

6 hic adfatus] Atticus allocutus **11** optatissimum] jucundissimum **14** nova] nondum mihi cognita **18–19** Hesiodum] dictum Hesiodi **20** cumulatiore] maiore

18–19 Hesiodum] Hesiodus poeta antiquissimus ex Asera vico Boeotiae, aetate Homeri paulo fuit inferior, vel etiam, ut aliqui contendunt, aequalis. Itaque floruerit annis ante Christum circiter 1000. Quod autem Hesiodi laudatur hic dictum, depromtum est ex carmine quod inscribitur "Ἐργα καὶ Ἡμέραι, Opera et dies, vs. 349. εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον αἱ κε δύνηαι; Bona quidem mensura accipe a vicino, et bona redde eadem mensura, et cumulatus, si possis.

16

ego autem voluntatem tibi profecto emetiar, sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. nec enim ex novis, ut agricolae solent, fructibus est unde tibi reddam quod accepi – sic omnis fetus repressus exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit – , nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris: modo idem noster animus efficere possit quod ager, qui quom multos annos quievit, ubiores efferre fruges solet.

5

10

17

Tum ille: ego vero et exspectabo ea quae polliceris, nec exigam nisi tuo commodo et erunt mihi pergrata, si solveris.

Mihi quoque, inquit Brutus, [et] exspectanda sunt ea quae Attico polliceris, etsi fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, incommodo exacturum negat.

15

2 emetiar] remetiar, reddendi voluntatem offeram **2** rem ipsam] aliquod opus
12 ille] Atticus **15** procurator] Attici rebus gerendis intentus **16** incommodo exacturum negat] Dicit se non petiturum incommodo tuo.

3 nec enim ex novis] Perpetua locus hic allegoria contextus est; significat Tullius se non posse novum aliquod opus scribere, quo rependat Attico dignum aliquid praeclaris libris, quibus ipsius aegritudo levata fuerat. Ex novis, inquit, fructibus sive libris, quos ad me, Attice, misisti, nihil est unde te remunerem. Quemcumque novum ingenii fetum possum in lucem edere, is supprimitur siti ac desiderio quo teneor veteris ubertatis: neque etiam est mihi quod tibi referam ex reconditis libris meis de philosophia, qui nunc jacent in tenebris: aditus enim ad philosophiam, qui mihi vobisque, Attice et Brute, fere solis patebat, nunc interclusus est vitio temporum. Itaque cum et novi et veteres fructus mihi desint, seremus, id est, commentabimur aliquid, quod non sine fenore munus tuum compenset.

8 impendiis] Impendium fenus est teste Varrone lib. IV.

12 polliceris] "Pollicemur sponte, promittimus rogati", Servius.

18

At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum.

Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausim. nam hunc, qui negat, video flagitatem non illum quidem tibi molestum, sed adsiduum tamen et acrem fore. 5

Tum Pomponius: ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. videor enim iam te ausurus esse appellare, quoniam longo intervallo modo primum animadvertis paulo te hilariorem.

19

10

itaque quoniam hic quod mihi deberetur se exacturum professus est, quod huic debes, ego a te peto.

Quidnam id? inquam.

Ut scribas, inquit, aliquid; iam pridem enim conticuerunt tuae litterae. nam ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmet ipsi ad rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. sed illa, cum poteris; atque ut possis, rogo. 15

20

nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus.

Quidnam est id? inquam.

20

2–3 non solvam, nisi prius a te cavero amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum] Non id faciam, Brute, nisi prius mihi promittas, fore ut is qui jure petere possit non amplius illud idem exigat. **4** repromittere] spondere **4–6** hunc, qui negat, video flagitatem non illum quidem tibi molestum, sed adsiduum tamen et acrem fore] Video Atticum, qui negat se exacturum, id abs te flagitaturum, non quidem importune, sed assidue et vehementer. **8** appellare] admonere debitorem **16** comprehendendam] scriptis commendandam **17** illa] libros Tusculanarum quaestionum &c. **19** si es animo vacuo] si quid est tibi otii

11–12 quod huic debes] An libros vel Tusculanarum quaestionum, vel de natura deorum, vel de aliis argumentis Bruto inscriptos?

Quod mihi nuper in Tusculano inchoavisti de oratoribus: quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent. quem ego sermonem cum ad Brutum tuum vel nostrum potius detulisse, magnopere hic audire se velle dixit. itaque hunc elegimus diem, cum te sciremus esse vacuum. quare, si tibi est commodum, ede illa quae cooperas et Bruto et mihi.

5

21

Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis.

Poteris, inquit: relaxa modo paulum animum aut sane, si potes, libera.

Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta causam Deiotari fidelissimi atque optumi regis ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam.

10

Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem teque Bruti dolentem vicem quasi deflevisse iudiciorum vastitatem et fori.

22

Feci, inquam, istuc quidem et saepe facio. nam mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. cum enim in maxumis causis versatus essem et cum tibi aetas nostra iam cederet fascisque submitteret, subito in civitate cum alia ceciderunt tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit.

15

20

4 vacuum] minime occupatum **5** ede] dico **8** libera] omni sollicitudine exsolve
13 vastitatem] ruinam

1 nuper in Tusculano] Hinc Romae, non in Tusculano, habitum hunc dialogum constat.

10 Deiotari] Deiotarus Gallograeciae rex reus ad Caesarem bis delatus est: primo quidem quod arma pro Pompeianis contra Caesarem tulisset, deinde quod domi suae adversus eum hospitii jure violato conjurasset: in priore causa a Bruto Nicaeae, ut scribit Tullius ad Attic. XIV. 1. In posteriore ab ipso Cicerone defensus est.

19 fascisque submitteret] Populares magistratus, ut populi majorem esse vim quam suam indicarent, fasces submittebant, quod per translationem dicitur de iis, qui se fatentur inferiores.